



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

58. Lvperivs in templo pollutionem occultè faciendo non committit sacrilegium speciatim in confessione explicandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

& tamen in domum fuit admissus. Vnde clarè patet, nihil hinc euinci.

LVIII. *Luperius juvenis adeò libidini est deditus, vt nec in templo mulierum aspectu illectus abstineat, sed hïc mollitiem exerceat, quam tamen circumstantiam non exprimit nominatim in Confessione, quasi nihil in ea specialis malitia lateret. Queritur. Vtrum pollutio occultè in Ecclesia facta contineat specialem rationem Sacrilegij in Confessione exprimendam?*

Videtur continere. Ita Suarez Tom. 1. de Religione. l. 3. c. 7. n. 4. Thom. Sanchez de Matr. l. 9. D. 15. n. 11. Bonac. de Matr. q. 4. p. 19. n. 7. Lugo D. 16, de Pœnit. num. 461. & plures alij. Probant. Tum quia si ille actus postea publicaretur, Ecclesia haberetur polluta. Ergo ante hanc publicationem iam fuit Sacrilegus. Tum quia est contra reuerentiam templo debitam. Tum quia furtum etiam occultum, si in Ecclesia fiat, sacrilegum censetur. Ergo & pollutio occulta.

Resp. Pollutionem occultam in Ecclesia factam non habere rationem Sacrilegij specialiter in Confessione explicandam. Ita Vasquez in 1. 2. D. 98. c. 3. n. 6. Bas. Pontius de Matr. l. 10. c. 10 n. 15. Martin. Perez de Matr. D. 49. s. 4. Caspens. Tom. 1. Tr. de Pec. D. 2. s. 3. n. 20. Caraniel in Reg. S. Benedicti. D. 66. n. 1017. & alij, quos citat & sequitur Diana part. 7. Tr. 11. Resol. 31. Ratio est, quia malitia sacrilegij ex
feminis

seminis effusione non contrahitur, nisi propter violationem Ecclesie, & motium inhonorandi istam. Atqui fornicatio & pollutio occulta nec violat Ecclesiam, ut suppono ex Communi ferè Theologorum; nec ex natura sua motium habet inhonorandi illam. Ergo &c. Confirmatur. Tactus, oscula, & turpia colloquia in Ecclesia exercita non continent specialem malitiam sacrilegij, uti ultra concedunt ipsi Aduersarij, quia iure positiuo non ita sunt contra reuerentiam templi, ut istud egeat reconciliatione. Ergo nec occulta pollutio in templo facta eandem malitiam continet, cum nec ista iure positiuo violationem Ecclesie contineat, quæ tunc solum fieri censetur, quando scelus est publicum.

Ad 1. in contrarium negamus consequentiam, cum enim ius positiuum, quo statuitur, seminis effusione violari Ecclesiam, odiosum sit, restringi illud oportet, quantum, saluâ lege, fieri potest, ut scilicet non nisi de publica saltem probabiliter præmissa intelligatur. Si ergo casu solummodo publicetur, in foro conscientie sacrilegium non committetur, licet in foro externo præsumatur. *Ad 2.* dicimus, non quamlibet irreuerentiã contra templum commissam importare specialem malitiam sacrilegij, ut patet manifestè in tactibus, osculis, & colloquijs turpibus in templo factis. *Ad 3.* negamus paritatem, quia furtum speciali

ciali lege Ioan. VIII. in C. quisquis inuentus.
Causa 17. q. 4. sacrilegij malitiam habet annexam.

LIX. *Manfredus Religiosus facultatem habet à P. Prouinciali suo accipiendi res dono oblatae aut earum pretium citra medium florenum; huiusmodi autem dona subinde accipit ille vno die plura à diuersis oblata, vt facile vnum aureum aequent, vel superent, absq; alia vltiore facultate, vi solum prædictæ, quam à P. Prouinciali accipit. Queritur. Num licitè?*

Videtur licitè id facere. Tum quia id licitè fit, quod est conforme facultati concessæ. Atqui hæc donorum acceptio est conformis. Ergo &c. Prob. Min. si nõ esset conformis facultati datæ, id fieret ratione excessûs in donis quasi in vnum coalescentibus. Sed hoc nõ est. Ergo &c. Prob: iterum Min. Tum quia singulæ donorum acceptiones sunt diuersæ tam ratione personarum, quàm fortè etiam materiarũ. Tum quia eadem dona moraliter non consentur coalescere per diuersas acceptiones intra vnum aut duos menses. Ergo nec intra vnum, aut duos dies. Tum quia singula dona per singulas facultates etiam eod. die non coalescunt, etiam si simul sumpta in magnam quantitatem excrescant, in quã expresse non consentit superior. Ergo nec coalescunt in proposito, cum vna facultas virtualiter includat plures.

Resp.